

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis tertiâ menſis Decembris, anno Domini M.DCC.XLIII.

M. LUDOVICO HYERONIMO COSNIER,
Doctore Medico, Præſide.

An, quò præſtantior in praxi, Medicus, eò & Vaticinii genio magis præditus.

I.



OMINI nihil eſt ſimilius quam homo, nihilque diſſimilius. Amant minervam alii, alii martem. Opes ſequuntur plerique, non nulli fugiunt. Quidam obeundis magiſtratibus, & negotiis maximi momenti gerendis idonei: ſecùs plurimi. Eſt qui (brutarum inſtar animantium) edendo ac bibendo unicè ſtudet, famæ ac nominis incurius: contrà verò non pauci, laudis deſiderio incenſi diſciplinas, præclaras artes & ſcientias colunt; hos inter gloriæ cupidos, parem vati

reperias profectò neminem ; is nihil magis ambit quàm futurorum cognitionem; difficultatibus , ænigmatis & obscuritatibus delectatur; memor infinitarum penè rerum quas incredibili celeritate ingenii percepit , naturæ cursus & recursus, discrimina, momenta, casus , eventus atque fata fortunamque hominum, tacitâ mente perpetuò volvit revolvitque , nec dubitat oracula reddere consultus; res bona , sed rara, vates; non enim quotquot se credunt vates, dicuntve, ideò vates sunt. Apage chiromanticos, genethliacos , sagas , necromanticos, & alios hujus farinæ homines, qui polliceri, nec præstare , prædicere & mentiri solent.

I I.

NON parum sollicíti fuere Philosophi, unde tanta esset quibusdam hominibus divinandi facultas. Illam referebant alii ad furorem , alii ad familiares deos ; quidam ad siderum influxus, non nulli ad reminiscentiam ; meliùs cum galeno , ipsam ascribas temperamentorum vi atque præstantiæ. Scire licet sanguineo-melancholicis Contingere uberiores spirituum animalium proventus , texturam partium firmiorem , laudabiliorem sanguinem vegetioremque lympham & spirituosiorem ; hinc functiones corporis & animi feliciores ; illis (quia altiùs imprimuntur imagines) firmior memoria, & habitus mentis nobiliores. Ad ardua & grandiora nati ejusmodi homines , ingeniosis diu noctuque excruciantur malis ; atque ita cogitando meditandoque (id est effectus obscuros per evidentes causas , causas latentes per effectus manifestos investigando) habitus ad benè divinandum necessarios, paulatim sensimque acquirunt.

I I I.

AT qui hæc non parum emicant in præstantiori Medico. Huic , nodus gordius ubique præsens in morbis lethalibus , acutis vel chronicis ; sed radicitùs suâ peritus in arte, & experientiâ dives , hincque prognosi ditior , didicit citò sapere, prævidere tutò , certò præcavere ; nodumque , vitam haud dubiè præsagiendo vel mortem , solvere. Quid vaticinii genio propius ? Æquum reipsâ fuit ut ad tot grandia arduaque natum factumque medicum , provida compensaret natura virtutibus dotibusque rarioribus. Æquum profectò erat ut qui alienis continuò erat afflictandus ærumnis & calamitatibus , is , corporis robore mentisque energiâ abundantiùs ditaretur ; quin & longo ævo. Si opes addas & honores ; inde & animi serenitas major , mentisque hinc perspicacior acies. Ast (inquiunt artis osores) non nisi conjecturalis est Medicina. Esto ; nec ideò incertam dixeris præstantioris medici prognosim. Quin potiùs , ex fonte incerto certum quid pronunciare futurum , quid vaticinio similius? Quia medenti sæpiùs conjecturalis reverâ medicina est , studio idcircò , & labore improbo longoque usu, sibi non modo comparat in criterio subtilitatem , quæ tunc tanquam exquisitioris judicii acquisita virtus est ; verum etiam artificiosæ præsagitionis sensim assequitur habitum. Illâ , relationem causarum ad effectus, effectuum ad causas, genera ac species temperamentorum, morborum , symptomatum , signorum , similitudinem rerum ac dissimilitudinem percipit. Hoc, macro & microcosmi casus & eventus valet prædicere. Cum exitus morborum medici famam illustret aut imminuat , obscuret vel augeat , omni studio alla-

borat ut ſententiæ atque expectationi ſuæ reſpondeat. Sunt indicia quæ morbum brevem aut longum, ſuperabilem aut invictum, mitem aut malignum portendunt. Indicia non deſunt quæ tempus, quæ diem & ſolutionis modum demonſtrent. Medicus horum non immemor, digna apolline pandit oracula. Sic, etſi vatis ſanè nomen minimè ambiat, ſaltem vaticinii genium præ ſe fert, & in illo magis magiſque praxi elucet.

I V.

FELIX ergo Medicus qui ſic eſt à naturâ comparatus. Ars quam alii prædicant arduam atque incertam, ipſi eſt facilior certiorque. Naturalem divinationem potiùs quam artificioſam præſagitionem in eo eſſe putes. Ipſo arteriarum pulſu; imò vultu ipſo, de ægri ſtatu judicat; nec minùs præterita quam præſentia & futura intelligit: quod genus ſit morbi quæ ſpecies, quos jam progreſſus fecerit, quò inclinat; quis eventus futurus ſit, ictu quaſi oculi percipit. Morbum variis non explorat remediis, ſed recti propoſitique tenax atque imperturbabilis in ſuâ ſcientiâ, affectum vel ſequitur pedetentim & cunctando frangit, vel mochlico, aliove id genus pro morbo, ſine procraſtinatione expugnat. Inter ſexcenta medicamentorum genera, illud unum ſeligit quod eſt optimum; idque tantâ celeritate ut minùs arte quæſitum quàm divinitùs indicatum videatur. Inter innumeras morborum cauſas, has imprimis habet ſuſpectas, putâ conſuetudinem intermiſſam, animi pathemata, ingluviem, nec non morbi epidemici ingruentis aut vigentis caracterem, in morbis quamplurimis, licet ſpecie diverſis, ſæpiùs quaſi obvelatum. Inter partes affectas, diffidit potiſſimùm ventriculo, hepati, lieni, mezenterio, pancreati. His tamen ſcit aliquando fidere. Optima parens illi conceſſit quidquid ars poteſt conferre præſtantius, putâ ſingularem mentis integritatem, quâ non eſt melior phæbi cortina. Ipſi quoque inſevit rerum naturalium, non naturalium & præter naturam incredibile deſiderium; phyſiognomiæ præſertim (quæ melior eſt phyſiologiæ pars) longè maximum. Perſuaſus, ex minimis momentis non nunquam pendere maxima, negligit aut ſpernit omninò nihil. Emicant etiam aliquando inter publica vitæ commercia, ejus naturalis præſagitionis ſcintillæ; unde apud omnes invenit admirationem.

V.

SUMMUS dictator nihil aliud intellexit, per indolem & naturam optimi medici, quàm divinatricem facultatem, ratiocinio nempe & experientiâ ſuffultam. Galenus optimum medicum ædipi nomine ſalutabat. Plinius herophilum appellabat Medicinæ vatem. Cicero eodem nomine donabat medicos præſtantiores. Quotquot ab omnibus retrò ſæculis in eâ arte floruere præſtantiſſimi viri, hac egregiâ dote præditi erant. Et verò, ars præſtantiſſima, ſibi parem deſiderat artificem, qui ipſius conſtantiam, finiſque excellentiam, adversùs invidiam multorum, probet. Sub inexpugnabili morbo ſæpè natura opprimitur, neque Medicinæ inſtrumentis quicquam loci relinquitur. Quid tum (amabo) abſque præſagitione Medicus? In chronicis autem affectibus, quam diætam tutò præſcribes, niſi futura proſpexeris. Rectè igitur medicina definietur

ars divinatrix, ad tuendam ſanitatem & morbos expellendos comparata. Vitæ amans, eo imprimis delectetur medico quem noverit non infidum vaticinatorem. Qui excellit in vaticinatione, excellit & in omnibus Medicinæ partibus, quarum ſumma eſt prognoſis. Ille ægritudines vel futuras antevertet, vel præſentes longiſſimè propulſabit; atque ubi ad ultima ventum erit, neque ſpes vitæ in ægro manebit ulla, æternam, ſecurus nec ſuæ prognoſis anceps, dicet ægro ſalutem. Sic Medicus, certus in re incertâ cognitus, ſanctiſſimum atque auguſtiſſimum vatis, ſeu ἰσοθέυς nomen conſequetur; recta igitur concluſio.

Ergo quò præſtantior in praxi, Medicus; Eò & Vaticinii genio magis præditus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joſephus-Exuperius Bertin, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medicus Primarius.	*M. Gedeon de Rabours.*	*M. Ludovicus-Hyeronimus Coſnier, Actûs Præſes.*
M. Joannes-Ludovicus Baude de la Cloy, rei herbariæ Profeſſor.	*M. Laurentius Ferret, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor.*	*M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius in majori Conſilio & in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.*
M. Carolus Dionis.	*M. Joannes Midy.*	*M. Nicolaus le Roy de S. Aignan.*

Proponebat Pariſiis, JACOBUS VERDELHAN DES MOLES, Mimatenſis, Doctor Monſpelienſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1743.